

*Benedicat coeptis Numen!*

APHORISMI

DE

# CONSCIENTIA,

QVOS,

*Consensu Ampliſſ. Senatus Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

# HENRICO HASSEL,

Eloquentiæ PROFESS. Reg. & Ordinar.

PRO GRADU

*Publice examinandos ſiſtet*

# JOHANNES ELENIUS

V. D. M.

*Boreæ - Fenno.*

Die XII. Julii A:o MDCCXLVIII.

Horis pomeridianis.




ABOÆ,

Excud. JOH. KÆMPPE, Reg. Acad. Typogr.

*Sundin.*

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes names and titles such as:  
HENRICO HASSE  
JOHANNES TILMUS  
V. B. M.  
The text is faint and difficult to read due to its orientation and the quality of the scan.



APHOR. I.

**C**onscientia, prout eam definit Celeberr. Jo. Barbeyracius, est iudicium uniuscuiusque de propriis actionibus, comparatum cum ideis de certa norma, lege dicta, sibi haerentibus, ita ut intrinsecus colligat, illas cum his aut convenire aut non convenire. Vid. Pufend. de officio H. & C. lib. 1. Cap. 1. §. V. not. 1.

APHOR. II.

**Q**um lex actionum humanarum unica sit norma genuina, ejus omnino sensu imbutus sit homo, necesse est; ceteroquin de actionum cum lege conformitate aut difformitate iudicium illi non competit. Lex, inquit Celeberr. Barbeyrac. loc. cit. actionum nostrarum norma esse nequit, nisi in quantum cognoscitur.

APHOR. III.

**O**mnis conscientiae actus explicabilis est per syllogismum, in quo lex semper majoris propositionis vicem sustinet, actio minorem constituit, ipsum vero iudicium conclusionem sistit. Vid. Wolf. Phil. pract. pars I. §. 431.

APHOR. IV.

**P**RO varietate de actionum moralitate iudicii, & ob  
A diver-

diversas quoque alias ob rationes; variaz & quidem plures sunt conscientiaz divisiones, quas, saltem palmarias breviter attingere & succinctis quibusdam aphorismis complecti animus est. Dispicitur vero Conscientia primo in *antecedentem* & *consequentem* pro judicio vel ante vel post actionem lato. Heic probe notandum, quod haud raro usu veniat, ut ad actionem, absque ullo prævio ejus moralitatis examine accedatur; & tum posterius se tantum prodit judicium; quod bene observavit Celeberr. *BARBETRAC.* loc. cit. not. 3.

*APHOR. V.*

**A**ntecedens conscientia est vel *theoretica* vel *practica*, prout vel de actionis natura, vel de eadem committenda vel omissenda judicatur. Conscientia practica sive activa, quando judicium de commissione vel omissione actionis fertur, nulla habita ratione temporis & loci aliarumque circumstantiarum particularium commissionem vel omissionem ejusdem determinantium, *cedens* dicitur. *Praeponderans* vero audit illa, si judicium se exerat, omnibus & singulis spectatis circumstantiis individualibus. Hæc ultima tantum necessitatem agendi infert moralem. Hinc etiam facile decidi potest quæstio illa: *Num possit contra conscientiam agi?*

*APHOR. VI.*

**C**ontra conscientiam activam cedentem licite agi potest ob rationes a singularibus circumstantiis desumptas antea non observatas; quibus spectatis id malum potest judicari, quod antea judicabatur bonum.

*APHOR. VII.*

**C**ontra conscientiam præponderantem nemo agit, nisi qui



9  
qui vel conscientia caret vel appetitu sensitivo, aut  
averfatione fenfitiva, atqve ex iisdem exortis affectibus  
vincitur.

APHOR. VIII.

Conscientia a voluptate vel tadio fenfuali depen-  
dens, *ferva* dicitur; Sed *libera* est, quæ fan-  
nae rationis fequitur motiva. Illa imperio fubftat;  
hæc ex mera deliberatione agit. Hinc liquet, quid  
fibi velint *fervitus & libertas moralis*.

APHOR. IX.

Conscientia, quæ demonstrativis & evidentibus nit-  
titur rationibus, *certa* dicitur; quæ vero auctori-  
tatem humanam & exempla pro fundamento habet,  
*probabilis* vocatur. Illa nunquam non recta est & nor-  
mæ conformis; hæc vel *recta* vel *erronea* efle potest,  
prout illi, quorum in auctoritatem refolvitur, recte  
vel fecus fenferint aut egerint.

APHOR. X.

Judicium, quum ob rationes, quæ in utramque par-  
tem profiant, æquales fufpeditur, conscientia est *du-  
bia*; quando vero id fit ob leviffimas quasdam difficul-  
tates, *ferupulofa* audit.

APHOR. XI.

Conscientia, etiam erronea, quatenus eam quis pro  
recta habet, & error invincibilis est, obligat ad  
committendam vel omittendam actionem pro tenore  
fui dictaminis. In hoc cafu morem gerere con-  
ficientiæ qui recufaverit, eo ipfo proærefin peccandi  
prodit. Si autem error fuerit vincibilis, quocunqve  
fe verterit homo, a peccato non est immunis, nifi

erro-

errorem agnoscat & deponat. De errore vero in re indifferenti sufficiat dixisse: *Non peccat, qui secundum, sed qui contra conscientiam agit.*

APHOR. XII.

**A**Sensum præbentur Barbeyracio, qui ita scribit: *Equidem generalissima juris naturalis præcepta, ut & illa, quæ ex iis immediato, aut non ita remoto nexu manifeste fluunt, ita sunt comparata, ut homo rationis compos, circa talia in errore invincibili versari nequeat, saltem inter tantisper moratas gentes: quod si enim forte populos detur reperire, apud quos, educationis vitio, vis rationis ita obsurduerit, ut manifesta ejusmodi principia formare sibi aut intelligere non valeant; plus certe de brutis habeant, necesse est, quam de hominibus. Verum quod attinet ad quæstiones, quæ nonnisi longa ratiocinationum & consequentiarum serie resolvi possunt, iis, qui arte ratiocinandi non polleant, quique sibi habitum plures abstractas ideas simul, ac varios earum nexus considerandi, principiumque in omnibus suis consequentiis persequendi non conciliaverunt; iis, inquam, quum de talibus quæstionibus judicare peritendunt, vix errorem invincibilem licet effugere, & si in verum incurrant, id sane ex accidenti est. De Officio H. & C. Lib. I. Cap. I. S. VII. not. 1.*

APHOR. XIII.

**C**onscientia erroribus adversus revelatas veritates laborans potestati summi Imperantis non substat; non equum is a civibus sive subditis, per vim externam plus potest exigere, quam quantum viribus naturæ possunt præstare. Quum vero veritates revelatæ, quæ revelatæ & supra rationem positæ, ita sint comparatæ, ut circa illas nihil valeat natura sine gratia; patet, quod  
neque

7  
neque revelationis neglectus pœnis a Magistratu possit  
coërceri. Conf. Canz. Discipl. Mor. Disc. IV. pars III.  
Cap. II.

APHOR. XIV.

**E**Rrores crassiores, v. g. *Atheismus*, *Epicureismus* & *idololatria* in Civitate non sunt tolerandi, sed tanquam capitalia & Reipublicæ maxime noxia vitia, gravissime coërcendi.

APHOR. XV.

**D**ubia conscientia non esse agendum statuimus; quisquis vero agit, periculo peccandi se exponit, nescius quippe conformisne legi an difformis sit actio committenda vel omittenda.

APHOR. XVI.

**C**onscientia probabilis in illis, qui certis agendorum & omittendorum rationibus examinandis sunt impares, valet pro certa. Aut enim istam sequentur normam, aut nullam.

APHOR. XVII.

**P**robabilissimus *Jesuiticus*, ut portentum quoddam morale & vitæ pestis spectari debet. Futilissimis namque rationibus gravissima palliat peccata, inverso decalogo inducendo aptus.

APHOR. XVIII.

**A**D conscientiam demonstrativam sive certam obtinendam requiritur non solum notitia legis & factorum, sed & ut nexum inter facta & legem rite & distincte perspiciamus. Alioquin facile possumus a veritatis via aberrare atque in scopulos erroris impingere. Proinde igitur, qui conscientia vel erroneâ, vel dubiâ,



dubiâ, vel scrupulosa laborant, id omni studio procurandum habent, ut justo factorum ad legem examine ad certæ conscientiæ asyllum tandem perveniant.

APHOR. XIX.

**Q**ui omni studio id operam dat, ut conscientiam habeat certam atque liberam, conscientiam suam *custodire* dicitur.

APHOR. XX.

**C**onscientia demonstrativa semper est recta, licet recta, quæ infra convictionis certitudinem posita, probabilitate tantum nititur, non sit demonstrativa.

APHOR. XXI.

**Q**ui nullam habent rationem actionum suscipiendarum, bonæ ne sint an malæ, conscientiam *dormientem* habere dicuntur. Qui vero eo malitiæ processerunt, ut nec pœniteat eos nec pudeat malefactorum, eorum conscientia est *cauteriata*. At qui supina laborant legis ignorantia, *superfactam* habent conscientiam. Contra, qui de actionibus suis caute secundum legem judicant, & ad earum moralitatem sedulo attendunt, conscientiam habent *vigilantem*.

APHOR. XXII.

**E**vigilare dicitur conscientia, quando quis quacunque de causa post aliquod temporis intervallum pristina sua facta ita in memoriam revocat, ut inquirat, utrum bona vel mala, & num recte vel secus commissa fuerint aut omissa.

APHOR. XXIII.

**A**ctiones contra conscientiam præponderantem, certam & probabilem patrata, *malam* pariunt conscientiam,



entiam, quæ iudicium est actionem patratam damnans. Ex actionum vero cum lege conformitate bona resultat conscientia sive iudicium actionem patratam adprobans.

APHOR. XXIV.

Actiones malæ non semper præsupponunt conscientiam erroneam, cum haud raro usu veniat, ut homines meliora edocti peccent; ubi observandum est discrimen, num obstinata malitia, an in lucta appetitus sensitivi & affectuum cum ratione, succumbentes id faciant, actum illico excipiente pœnitentia.

APHOR. XXV.

Conscientia dicitur *accusare*, quoties, qui antea actionem suscipiendam adprobaverat, eandem susceptam jam improbat. Consistit itaque *accusatio* conscientiæ in diversitate iudicii antecedentis & consequentis. *Excusare* vero dicitur conscientia, quando consequens iudicium cum antecedente idem est.

APHOR. XXVI.

Mala conscientia fecunda molestorum affectuum est mater, pœnitentiæ nempe, quæ summum adfert tedium ob malum patratum; pudoris; tristitiæ; odii erga semet ipsum; metus & quandoque desperationis. Huiusmodi affectuum complexus *morfus* conscientiæ constituit.

APHOR. XXVII.

Infelicitas Hominis cum accusatione & moribus conscientiæ conjuncta est; quippe ubi affectibus molestissimis tranquillitatem & pacem animi interream turbantibus vexatur, non potest non esse miser.

## APHOR. XXVIII.

**F**elicitas vera in excusatione conscientiaë consistit, quæ summa nos perfundit voluptate, animum reddit quietum, variisque affectibus jucundis, utpote adquiescentia in se ipso, gaudio & spe replet.

## APHOR. XXIX.

**Q**um malis afflicti judicamus nos perperam faciendo ipsos ista accersivisse, conscientia dicitur nos *damnare*. Sin autem judicamus nos mala ista, quibus affligimur, non promeruisse, conscientia dicitur nos *absolvere*. vid. Wolf. Phil. pract. pars I, §. 504.

## APHOR. XXX.

**C**onscientia plene certa, quæ de gratia divina & salute aterna obtinenda convicti adquiescere possumus, in Philosophia frustra quæritur, quippe quæ media & œconomiam salutis ignoret; defectum rationis hic suppleat revelatio oportet,

SOLI DEO GLORIA.

